Emin. Dom.

Per litteras datas 23. die Februarij labentis anni vestram Emin. opportune praemonuimus de his, quae pro executione Regiae Schedulae à Catholico Hispaniarum Rege Carolo IV. subscriptae die 22. Septembris an. M.DCCCI à Reverendissimo Dom. Archiepiscopo Limano facitabuntur circa totius Ordinis Bethlemitici Reformationem novo instruendo Constitutionum Codice, votis quoad fieri posset, accommodatur Reverendissimi Domini (sacro jam functi) Aloysij Ximenez de Haro in hisce Indiarum partibus Mexicani Praesulis. Nunc singula, quae ad hanc usque diem peracta sunt, Emin. vestrae fideliter referre et officij, et nostrus ratio videtur postulare, ut finita Causa, etiam minimae istius Religionis vestrae protectioni (felici sane omine) commissae vexatio et angor penitus finiantur.

Igitur memoratus Limensis Archipraesul, cum promo cuncta et singula, quae in nostro Archivio servabantur monumenta totius Ordinis tam generale, tum particulare Regimen spectantia sibi transmitti jussisset, cui statim obtemperans infrascriptus Generalis Praefectus in suo à secretis tabulario propria consignavit manu, tam veterum Constitutionum, quae extant ab Appostolica Sede approbata typis exaratum exemplar, quam Acta Generalis Capituli Mexici celebrati anno M.DCC.LXIX cui praefuit auctoritate Pontificali et Regia B. M. Archiepiscop. Rever. D. Franciscus Antonius de Lorenzana: ad haec universi Ordinis Bullarium: postremo quam plurimas alias Constitutiones, et Brevia ab Aplica Sede emanata atque extra Corpus nostri municipalis juris vagantia; his omnibus quam diligentissime visis, inspectis

CO-JO
CAJ. 1
DOC. 50
Fol. 5

maturo tandem Consilio examinari, novum Constitutionum
efformavit Codicem, in quo servata universalis Regiminis forma
salva manente Generali Prefectura, Regularibus nostris privi-
legiis, exceptionibus, et immunitatibus nè lato quidem ungu-
è sua sede commotis, ea tantummodo sive adjungere, sivè adi-
mere seù tandem è primaevis illis fontibus immutare neces-
sum duxit, quae diversa temporum, locorum, et circumstan-
tiarum ratio adjugenda, adimenda, immutanda rè suasit.
illius memor, quod Ulpian. Jurisconsult. dixerat in leg. 2. ff.
de Const. Principium, quaeque apud omnes Politicos concors est senten-
tia in novis rebus constituendis evidens esse utilitas debe-
at ab eo, quod diu aequum visum est, recedatur jure.

Expletum opus revisendum commisit Consultationi
quatuor Patrum eximiorum Regularis Observantiae S.
Francisci, qui et sapientia, et probitate, ceterisque religiosis do-
tibus eminent, et in hac Regali ac Pontificia Divi Mar-
ci Academia in sacra Theologia Laureati exstant tan-
dem Primariam et Vespertinam Exedras Doctoris Sub-
tilis et olim, et hodie moderantur. Hi Patres maturo
consilio cuncta meditantur: Constitutionum novellarum
Codicem diligentissime examinant, et perquam subti-
liter rimantur: rationes ab Archiepiscopo Mexicano po-
tentissimo Regi Carolo IV. propositas, queis de medio tolle-
Prefecturam Gralem, atque exceptionem nostri ordinis ab
ordinariorum locorum jurisdictione adnitebatur injudicium
advocant: atque pereruditio opusculo scripto nihil immu-
tandum esse, sed quae hucusque servata fuere retinenda
consulunt.

Supererat tandem Prefecti Gralis, ceu à Catholico
Rege in memorato Rescripto jussum fuerat, audientia

informativo ut apud forum dici adsolet modo. Et id quoque à Reverendissimo Limensi Archiepiscopo præscriptum, et a Prefecto Generali sine mora fuit exequutum, singulis, quæ à Mexicano Præsule objiciebantur incommodis plenè, et ex integro faciendo satis. Etenim, quid causæ est, quod Bethleemitici fratres illiterati ex instituto existant, neque in studijs monasticis exercitentur ut ex inde Generalis Præfectura funditus veniat extinguenda? Nonnè et ~~S. Hyppoliti Martyris in et~~ B: Joannis de Deo per totam Hispaniam mirificè propagatus, et S. Hyppoliti Martyris in America Septentrionali utiliter institutus, uterque Hospitalarius Ord., ab hominibus laicis maxima cum laude regitur, plurimo quoque fructu humanitatis inservit bono? Quæ ad nostri instituti pium et laudabile exercitium fratribus Bethleemitis scire expedit, ea optime callent. Philosophiæ naturali Chemiæ Botanicæ elementis instructi, prolixiores, atque pera accuratissimas Medicinæ, et Chirurgiae notiones sibi quærunt, quibus ægrotantium, et convalescentium in nostris Nosocomiis medelæ et levamini, cui unicè intendunt, adamussim studere valeant; non amplius inhiantes sapere, quam oportet, sed sapere tantummodo ad sobrietatem juxta Apostoli præscriptum ad Rom. 12. v. 3.

Atqui alterum ex hoc emergens incommodum, nempe homines istos rudes admodum, et Scientiarum penitus ignaros ex Generali Præfectura mirum in modum superbire, eoque fastuoso titulo adeo elatos incedere, ut populi fidelis scandalo sint, nihil quoque non moliri ut supremum illud dignitatis, et auctoritatis

culmen attingant; cenitur Regi Catholico suggerere tentavit (profecto et attentavit) memoratus bonæ memoriæ Mexicanæ Archiepræsul DD. Aloysius Nuñez de Haro; istud inquam incommodum et infacto, et injure deficit, uti pluribus confecit Præfectus Generalis quorum ero summa. Ne vel in minimo quidem supremæ iste Prelatus ordinis ceteris fratribus (exceptam mixtum jurisdictione et autoritate) sivè in exteriori habitu, sivè in suæ Cellulæ supellectili, sivè in operibus ad institutum attinentibus præexcelit, modo in Cænobijs, modo extra Cenobia versetur. Siquando necessitate expostulante, ipsi Generali Præfecto adeunda Civitas est, ad cujus Centrum è nostra Hospitali inmomori domo fere dimidiam leucam habet conficere, nulla incedit pompa nullo amplioris comitatu, sodalitio nullo, sed simplici Redda vehitur quam una trahit tantummodum mula, quæ currus species vel pauperrimis Civibus hic solemnis est. Ingeniam ergo arrogantiæ et superviatis animi, si bona fide loquendum est hinc depromere licet specimina? Ergo quod humilioribus hominibus in usu est, Generalibus Præfectis fastui et arrogantiæ esse poterit? Quod si verò ad jus respiciamus, quis non videt, cum non de nominibus, sed de rebus judicandum, parvi futurum momenti, ut istud evitetur (quod ultro commentum est) incommodum, quonam insigniendus veniat titulo, qua ve nomenclatura summus ordinis Dynastes, semel ac eo abuti voluerit in suæ animæ perniciem in Subditorum comptentum in populi tandem scandalum appellitandus veniat.

Quid interest an Imperator; an Toparca, an Rex, Dux, Magister maximus, Comes, Marchio, aut quolibuerit modo nominetur, qui supremum Regni, aut Reipublicæ tenet Clavum? Apagepuerilès nugas, tanque spectabili minus dignas Eclesiastico Præsule, quas referre profecto refellere est.

Neque pluris faciendum quod à memorato Mexicano Archiepiscopo, ut Gralem Præfecturam pessumdaret, tertio proponebatur loco; ejus nimirum ocasione, atque ambitatio maximas in Capitulis Generalibus exortas Contentiones, pluxima quoque jurgia, lites, et scandala ex inde subsequuta. Miramur adeo indefinitum istud et generale pronuntiatum nè vel uno quidem memorabili facto potuisse confirmari; quod enim vero in medium adduxit de Consilijs à P. Fr. Josepho de Sancto Ignatio adhibitis in ultimo Capitulo Mexici habito an. M. DCC.XC. VIII ut summam ambiret Præposituram, contrarium potius ei, quod suadere Reverendissimus Archiepiscopus invotis habuit omnino concludere videtur, ipso Eclesiastico Præsule Catholicam Majestatem certam faciente omnia et singula, quæ P. de Sancto Ignatio excitare studuit dissidia, protexto etiam ad Regium Mexicanum Senatum perviam violentiæ extraordinario ocursu, se prudenter, æquè, ac faciliter restinxisse, et paccasse. Ecquisnam vero erit, Emin. Domine, hominum Congresus, quænam sodalitas, inqua non similia, aut sanè majora experiri humana

Conditio non patiatur, quin et quodammodo non necessum ducat? Factam inter Apostolos Contentionem quis eorum videretur major esse, legimus apud Lucam vigesimo secundo capite. v. 24. Paulus quoque restitit Petro (ad Galat. 2. v. 11.) Cyprianus Stephano, Augustinus Hyeronimo. Quod si universa Historiæ Ecclesiasticæ monumenta a nobis essent percurrenda; quot non ex illis mirearandæ minimum Constitutionis colligere liceret exempla? Absit igitur vitio vertere Generali Bethleemitarum Præfecturæ quod unius tantummodo fratris temere Præfecturam candem ambientis scelus, idque non amplius quam tentatum fuit.

Postremò prælaudatus Archiepiscopus amplissimè commendavit Catholico Regi sumptus quam maximos, et validissimas impensas fieri in alimonia, et emigratione eorum Patrum, qui vel è Mexico Limam, vel è Lima Mexicum transfretantur proferendo in Capitulis Generalibus suffragio. Verumtamen pro isto incommodo vitando in novellis Constitutionibus statutum est à Limano Præsule duplicem in futurum creari Bethlemitarum in utraque America Provinciam: in unaquaque suum Provincialem à Præfectis Hospitalium in sua jurisdictione existentium ceterisque quos designare æquum visum est vocalibus, simulque quatuor Diffinitores quolibet triennio canonicè eligendos: singulis vero novenijs Generale Capitulum, alternis sanè vicibus, seu Mexici, seu Limæ celebrandum, ita tamen, ut proferendo in eo suffragio non amplius, quam unus, aut ad summum duo fratres universæ Provinciæ nomine transmeare necesse habeant (cui certò tenuissimæ impensæ sufficiunt) id quod apud ceteros Regulares Ordines in hisce Occidentalibus Indijs propagatos in praxi servatur, dum totidem Diffinitores Romam quælibet Provincia proprijs sumptibus mittit, qui ejus nomine Generalibus Electionibus adsistant, atque in eis, qui priore donat est loco, suffragium ferat.

Igitur hisce momentis, alijsque ejusdem generis, omnibus, quæ ad funditus evertendam Gñalem Bethlemitarum Præfecturam, universi quoque ordinis

Regimen innovandum à Mexicano Archiepi-
scopo objiciebantur, à Patre Generali infrascripto satis
factum est continuòque Reverendis. Dominum Li-
mensem Præsulem summise oravit, ut cum de iis, quæ
peracta fuerant suaque expleta commissione Regiam
Catholicam Majestatem In Supremo Indiarum Se-
natu certam faceret, totius Religionis nomine postu-
laret, ut ipse Potentissimus Rex, per Nuntium Ap-
postolicæ Sedis, Sanctissimum Patrem adiret, quo m
gis cum novarum Constitutionum confirmatione, novam
etiam Bullam dignetur expedire, qua cuncta, et
singula Bethleemiticis Hospitalibus eorumque fr
tribus à Prædecessoribus suis indulta, immunitates
exceptiones, et privilegia concessa dentio firmentur
roborentur, augeantur. His postulatis benigne an
nuere boni et æqui duxit memoratus Antistes, a
quæ in præsentiarum cuncta transmittens Poten
tissimo Regi Carolo pro instituti nostri utilitate
pro conservando Religioni Bethleemiticæ Regimine s
Generali Præfecto, et duobus Provincialibus Limensi,
Mexicano, pro ejus ab Ordinario servanda excep
tione cæterisquoque suis privilegijs et immunitati
bus prolixe atque nervosè scribit. Et quoniam n
gotium istud statim ad Sedem est Appostolicam d
ferendum, enixè ac suppliciter Emin. vestram de
precamur, ut apud Sanctissimum Patrem munifi
nostri Ordinis Protector existens, omnium et si
gulorum quæ à Reverend. Limano Archipræm

proposita sunt approbationem novarum-quoque Constitutionum confirmationem impetret, ut ita requiem habeamus, securitatem, et pacem. Flanc Deus O. M. vestrę Emin. cum longęvitate, summisquoque honoribus dignetur tribuere, ad nostri Ordinis validissimum fulcimentum solatium, et tutamen.

Romę in nostro B. Marię Virginis de Monte Carmelo majori Conventu, Septimo Kalendas Jannuarij labentis an. M. DCCC. III.

Emin. Dom.

Ad pedes vestros provoluti perhumilles vestri Subditi et obsequentissimi Servi=

Fr. Franciscus à Sancto Mathia
Prefect. Gralis.